



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

VII. Contra illud, quod nuptias & procreationes filiorum adstruant esse peccatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

omnia, & nihil accipit quod ipse non dedit. Nimum igitur superbi, nimumque sunt cæci, qui cum dicant humanam animam diuinæ esse substantiæ, non intelligunt, nihil se aliud dicere, quam Deum esse mutabilem, & ipsum perpeti quidquid potest naturæ eius inferri.

VI.

Sexta annotatio indicat eos dicere, quod diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura eius opificium Dei sit, sed eum ex chao & tenebris emerfisse: quia scilicet nullum sui habeat auctorem, sed omnis mali ipse sit principium atque substantia: cum fides vera, quæ est catholica, omnium creaturarum, siue spiritualium, siue corporalium, bonam confiteatur substantiam, & mali nullam esse naturam: quia Deus qui vniuersitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Vnde & diabolus bonus esset, si in eo, quod factus est, permaneret. Sed quia naturali excellentia male vsus est, & in veritate non stetit, non in contrariam transiit substantiam, sed a summo bono, cui debuit adherere, desciiuit: sicut ipsi, qui talia asserunt, a veris in falsa prouunt, & naturam in eo arguunt, in quo sponte delinquunt, ac pro sua voluntaria peruersitate damnantur. Quod vtique in ipsis malum erit, & ipsum malum non erit substantia, sed poena substantiæ.

VII.

Septimo loco sequitur, quod nuptias damnant, & procreationem nascentium perhorrescunt: in quo (sicut pene in omnibus) cum Manichæorum profanitate concordant, ideo (sicut ipsorum mores probant) coniugalem copulam detestantes, quia non est illic libertas turpitudinis, vbi & pudor matrimonii seruatur, & spes sobolis.

VIII.

Octauum ipsorum est, plasmationem humanorum corporum diaboli dicere esse figmentum, & semina conceptionum opera dæmonum in mulierum vteris figurari: propterea resurrectionem carnis non esse credendam, quia concreatio corporis non sit congruens animæ dignitati. Quæ falsitas sine dubio opus diaboli est, & talia prodigia opinionum figmenta sunt dæmonum, qui non in feminarum ventribus formant homines, sed in hæreticorum cordibus tales fabricantur errores. Quod immundissimū
virus